121

# ORDINIS PHILOSOPHI VVITTEBERGENSIS SACRA SOLEMNIA

IN

SAPIENTIAE INGENVARVMQ. ARTIVM

XVI KAL. NOVEMBREIS A. C. CIƆ IƆ CCXV

DOCTORIBVS

RITE CREANDIS

PROGRAMMATE INVITANTE CANDIDATOS

DE ADMIRANDA ACADEMIAE VVITTE-
BERGENSIS ORIGINE

ORATIONE DE SINGVLARI PLANE PROVIDENTIA
DIVINA IN AVGVSTVM II. SARMATARVM
REGEM ET SAXONVM PRINCIPEM EI.

GRATVLATIONE PVBLICA DE LAVREA
PHILOSOPHA

MORE INSTITVTOQ. MAIORVM

CELEBRATA

A

GEORGIO GVIL. KIRCHMAIERO

PROF. PVBL. TVM COLLEGII SVI DECANO ET IMPERIALI
AVTORITATE CONSTITVTO COMITE PALATINO

7½

---

*VVITTEBERGAE SAXONVM*

EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDERI ACAD. TYPOGR.

A. C. CIƆ IƆ CC XVI

BIBLIOTECA ... IN ROMA

21.

Digitized by Google

Digitized by Google

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO DOMINO

# IOANNI GEORGIO
# A PONICAV

DYNASTAE POHLAE SCHOENBRVNNAE ET
TASCHENDORFII

SERENISSIMI POTENTISSIMIQVE
POLONIARVM REGIS AC SAXONVM
PRINCIPIS EL. IN SENATV PROVOCA
TIONVM ET SVMMO SACRO
PRAESIDI EMINENTISSIMO

DOMINO SVO INDVLGENTI

PIETATEM ET OBSEQVIA

Digitized by Google

CVm inſignia animo tuo, PRAESES EXCELLENTISSIME, complecteris decora, quae praecipua Tibi largitus eſt bonorum autor omnium, quaeque uirtutis pariter, atque eruditionis, cultores in Te admirantur, tum maxime humanitatem, non uulgarem illam, quam multi, inuita quamuis natura ſua, ingenii cultu non ſubacta, prae ſe ferunt uel indocti, ſed eam, quae ingenuarum artium propria eſt, planeque ſingularis, Te adeuntibus declarare ſoles, ut dici non poſſit, quanta laude, apud Saxonas eruditos, celebreris. Equidem, de me, ingenue fatear, neceſſe eſt, Te mihi olim, clientelae cauſa, pace tua, coram obſequium probanti, tam facilem praebuiſſe ac comitem, ut praeclaram ſtatim rerum diuinarum humanarumque ſcientiam, humaniorum ſigillatim ſtudiorum, non amorem cupiditatemque, quam plerique omnes, niſi plane barbari uel-

Digitized by Google

*uellent uideri, profitentur, ſed quandam exquiſitiorem notitiam, agnoſcerem, idque, ob labem ſeculi, deſpicientis, magno reipublicae damno, literas, mirabundus. Praeterea gratus recordor eius, quod mecum praeſente, de fratre meo, perhonorifice diſſerebas, quem, in aula* GVILELMI, *magnae quondam Britanniae Regis, Iſenacenſi pariter, ac Bayrutenſi, Principibus, a conſiliis negotiisque, ibi curandis, propius interiusque inſpexiſti, maxima complexus eum beneuolentia, qua perinde, atque memoria futuri, ſi uita ipſi adhuc ſuppetiiſſet, clientis ſane obſequentiſſimi, ne indignus plane uideretur, uenia, humanitatis Tuae,* DOMINE, (*) *teſtimonium, haud*

(*) GVlielmus Tertius, Dei gratia, Magnae Britanniae, Franciae et Hiberniae, Rex, Fidei Defenſor etc. Illuſtriſſimo et Celſiſſimo Principi, Domino Iohanni VVilhelmo, Duci Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae et Montium, nec non Angriae et VVeſtphaliae, Landgravio Thuringiae, Marchioni Miſniae, Principi Comiti Hennenbergae, Marcae et Rauensbergae, Domino in Rauenſtein, Conſanguineo et Amico noſtro chariſſimo, Salutem. Illuſtriſſime et Celſiſſime, Conſan-

Digitized by Google

*haud contemnendum, uirtu*
*gentiaeque non omnino nulli*
*hic, eiusdemque piis manibu*
*gratiam liceat exorare.*
*ro conſecutus, coelum uer*
*mihi uidebor, quippe, cum Te*
*us Friſii, ſacri quondam Se*
*Praeſidis, decoriſque, cum*
*lorum poſteritate adaequanc*

---

*Conſanguinee et Amice chariſſime, cum ex literis Ce*
*Nouembris ultimi Ienae, quam aliis, ante aliquod*
*ab egregio Viro, Georgio Caſimiro Kirchmayer, Celſ*
*et apud nos Reſidente, Nobis redditis, ſummam Ipſiu*
*dium ſingulare, et non mediocrem, de incolumitate No*
*atque praeclaram, de pace nuper parta, gratulatione*
*Nobis gratae iucundaeque ſint, Celſitudini Veſtrae*
*cum alias, tum ex ſermone praedicti Domini Kirchm*
*diligenterque obiti, teſtimonio inſignitum, remittimus,*
*non dubitamus, adeoque, quam fidem Nos illi de reb*
*ſpectantibus, libenter adbibuimus, eandem Ipſa uiciſſ*
*in Ipſam uoluntate, animoque propenſiſſimo, certior*
*ut ei habeat, rogamus. Dabantur in aula Noſtra, a*
*ſis Ianuarii, anno Domini 1698, Regnique Noſtri,*

**Celſ**

*Bonus*

*Ia. Vernon.*

Digitized by Google

nem proxime accedentem, colant optimi quique et certatim uenerentur. Nemo enim ignorat, Heroem illum togatum perſonae ſuae, quam ſumma cum laude ſuſtinuit, grauitatem humanitate condiuiſſe, gratiamque non magis apud Principem EL. ſuum, rebus praeclariſſime geſtis, iniuiſſe prorſus ſingularem, quam eruditorum amorem deliciumque extitiſſe, VVittebergam certe, non exiguis propenſiſſimae uoluntatis illuſtratam monumentis, ita ſibi deuinxiſſe, ut beneficia trabali, quemadmodum dicitur, clauo fixa, perpetuo durent. Cumque illuſtriſſimus Friſius certis quibusdam uiris clientelae ius non negauerit, uerum ipſos, in ſinum gremiumque ſuum confugientes, egregie ſuſceperit tuendos, Tibi, DOMINE, pari modo, ad huius, qui Te, ſplendidiſſimi eiusdem muneris perfunctione, dudum anteceſſit, exemplum, clientibus Tuis me, quae-

ſo

*ſo demiſſe, aſcribes, ac tenuiſſimas has pagellas, in obſequii, nunquam intermittendi, pignus, ea, quae Tui propria eſt, humanitate, accipies, credeſque, ſi non, quod Alexander in Homero inuenit, me idoneum laudum tuarum praeconem fueris nactus, at religioſum tamen pro Tua, Tuaeque, inter magna Saxonum ornamenta, numerandae, Gentis, ſalute, ſemper habiturum, apud Deum, deprecatorem*

*PERILLVSTRIS TVI NOMINIS*

*VVitteberga ad Albim,*
*XI Kal. Februar.*
*A.C.* CIↃ IↃ CC XVI

*obſequentiſſimum*
*GEORG. GVIL. KIRCHMAIERVM*

Digitized by Google

# I

## PROGRAMMA DE ADMIRANDA ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS ORIGINE PHILOSOPHIAE ATQ. ARTIS POETICAE CANDIDATOS AD SOLEMNIA DIE XVI KAL. NOVEMBREIS RITE CELEBRANDA INVITANS

SI maioris Plinii miraculis, quae, in uaſto hiſtoriae naturalis uolumine, paſſim eximie celebrantur, VVittebergae extructum Muſarum domicilium annumeres, immo, longiſſime anteponas, nihil ridiculi ages, aut prudentum reprehenſione digni. Quanto enim euidentius eſt, ſapientiae ac bonarum artium ſedem loco non quouis poſſe collocari, ſed, omnium is rerum affluat copia, oportere, quae ad uictum ſunt et cultum neceſſariae, tanto mirandum eſt magis, Fridericum III, Saxonum Principem EL., a Martino Mellerſta-



Digitized by Google

dio ſe induci, paſſum, ut, VVittebergam, praeter ceteras, ſtudioſae iuuentutis limandae poliendaeque officinam eſſe, uellet. Nimirum, anno ciↄ ccccxcv, in comitiis, apud Vangiones habitis, praeſide Maximiliano I, Caeſare, autor erat Fridericus ſenatusconſulti Septemuiralis, ut, propter immanem barbariam, quae Germaniam peruaſerat, et longinqua, ſtudiorum ergo, itinera, diſiunctiſſimas terras uerſus, in ſuis quisque regionibus, locum deligeret, literatis ingeniorum exercitationibus inaugurandum. Primus, quod dederat, conſilium, ſimul, ac domum reuerſus fuerat, executurus, ſuos, qui prudentiae, fidei, eruditionis, autoritate plurimum ualebant, ſententias rogabat, cumque alias alii commendarent urbes oppidaue ditionis Saxonicae, a commoditatibus et ſubſidiis, quibus Muſarum aliquod delubrum praeſtare deberet, unus omnium maxime reſtitit Polichius, ac cunctis praetulit VVittebergam. Hoc conſilium inopinatum prorſus, tantum Friderico concitauit riſum, parum ut abeſſet, quin in imprudentiae opinionem ueniret uir alioqui ſummus, heroque ſuo, ob confecti feliciter itineris Palaeſtini ſocietatem, uitaeque, in inſula Rhodenſi, periclitantis, conſeruationem, in primis carus. Nec, ſi uerum fateri uelim, reſponſo hoc mirabilius

fingi quicquam, aut exiſtimari, potuiſſet, quippe cum pagi, quam oppidi, uerius illa ſpeciem prae ſe ferret, ac, prout recte ſcribit Philippus ad Camerarium, *mitto tibi, et Laterenſi, picturas oppidi, ſeu potius, κώμης ἡμετέρας*, non tuguriis conſtructa, ſed tuguriolis, iiſdemque pauciſſimis, id eſt, aediculis ruſticorum lutoſis et ſtramine tectis, uno uerbo, caſis, a toto propemodum terrarum orbe ignoraretur, et, uel poſtea, ab Luthero, obſtupeſcente idem diuinae prouidentae factum, abiectioribus uerbis extenuaretur, *es iſt hie, zu VVittenberg, nicht mehr, denn eine Schind-Leiche* item, *VVir ſitzen hier, zu VVittenberg, in einem Schind-Lande.* Quod tantopere commouit Nicolaum, Praeſulem Auguſtanum, ut, teſte, laudato paullo ante, Philippo, ſaepius in ore haberet, ſe, ſi uſquequaque haud ſecus, ac VVitebergae, doceretur, animo quidem haud iniquo ferre, at in iſto angulo, in ipſis tenebris, ſeu, Teutonica uoce, *in dem VVinckel und Loche*, illud doctrinae ſalutaris genus et gigni, et propagari, id uero eiusmodi eſſe, ut nullo plane pacto queat tolerari. Praeterea, circumiectus ager, ſterili arena infelix, incultus uaſtuſque, eo tempore, ac ſyluis horridus, multitudini hoſpitum alimenta non ſufficere, nedum ignobilis oppidi anguſtiae eam capere, multo minus amoenitates, quae

*p. 515, et 581.*

*Colloqu. menſ. c. 37. p. m. 458.*

*collect. MStis, p. m. 207.*

*in lectionib. MStis.*

nullae prorſus hic erant, allicere docentes diſcentesue, aut, cum, animum a labore interdum laxari, conducat, recreare, poſſe uidebantur. Nullum opificis, non dicam artificis, apparebat ueſtigium, nullumque commercium agreſtes incolarum, ruri ſtiuaeque deditorum, emolliebat mores, nec eos ulla ars praecipua, ſordida quamlibet ac illiberalis, ne quidem zythum coquendi, quae, locis finitimis, uel obſcuriſſimis, aliquid famae peperit, ab aliis diſtinguebat, tum potus, animo et ingenio grauis, perinde, ac aër, ex fluuii Albis, urbi ſane metuendi, eluuione frequenti, craſſior, ualetudinis detrimenta minabantur. Ne quid uero confinxiſſe uidear, in medium Martinus prodeat, aequalis illorum temporum, et optimae uir fidei, qui tale iudicium poſteritati reliquit, perſpectis ingeniorum rationibus ſubnixum. *uidetis hic, VVittembergae, quam habeat homines inciuiles, nihil curantes mores et religionem. nam nullus ciuium ſuum filium literis addixit.* Idemque alias affirmat, *VVittemberga, teſtante D. Mellerſtadio, eſt in termino ciuilitatis, ſi paullo ultra progreſſi fuiſſent, tunc eſſemus in media barbarie*, ac duritiem ciuitatis, nondum ſatis manſuefactae, pertaeſus, diſcedendi hinc occaſionem ſibi optat. Nec mitius, in epiſtola, ad VVenceslaum Lincum, ſentit, cum a Friderico,

*Collectan. MStis, p. m. 406.*

*pag. 207.*

*Epiſt. Luth. a Buddeo ed. 38.*

ſacro-

ſacrorum quodam antiſtite, donati ſibimet horologii, muneris gratiſſimi, ſtructuram, artiſque praecepta, data ideo mathematicis opera, penitius pernoſceret, atque admirandi huiuſcemodi operis ignorationem ſuis hic exprobraret. *horologii ſum ego magiſter pene perfectus, praeſertim cum ſint horae ſignandae ebriis meis Saxonibus, qui potius cantharos, quam horas, ſpectant, nec ualde cruciantur errore ſiue ſolis, ſive horologii, aut magiſtri eius.* *Tomo II, p. 334. Edit. Isleb.* Porro, ut, ſi quando ſumma inopia premeretur, ad exemplum Pauli, σκηνοποιοῦ, ipſius etiam Chriſti, τέκτονος, egeſtatem tornando toleraret, aliunde, ad id inſtitutum, propter maximam talium, huius loci, penuriam, conquirere ſibi inſtrumenta neceſſe habuit, literaſque, hanc in ſententiam, ad amicum exarauit, *quando autem, apud nos barbaros, nihil eſt artis, aut culti ingenii, mihi, et VVolffgango, meo miniſtro, ars tornandi ſuſcepta eſt, mittimus hic aureum, rogantes, ut inſtrumenta aliquot cauandi et tornandi nobis digneris, cum tempore, mittere.* Adhoc, in magiſtratu oppiduli, neque tum quidem, cum ingeniorum cultus aliquandiu hic iam floruiſſet, ulla inerat prudentia regendae reipublicae, iſque ipſe ceſſatione torpebat, in diem uiuebat, ac nulla communis utilitatis cura tangebatur, peſſumque ire ſinebat omnia, ut haud immerito

*Act. XVIII, 3. Marci VI, 3.*

*Tomo II, p. 292, b.*

male coeperit audire ab Luthero, qui, illius negligentiam deferre ſe ad Principem uelle, non obſcure, in epiſtola, Georg. Spalatino ſignificat, argumentumque mihi praebet colligendi, quanto magis, ante conditam Academiam, iuſtitiae, legibus, ordini, locus hic fuerit nullus. Ipſum audiamus querentem de iniuriis ſui temporis, *conſule, an ſcribendum mihi ſit principi, pro republica noſtra iuuanda, omnia fiunt cariſſima, nec ſatis aduehitur, nec legitime quicquam adminiſtratur, in hac confuſiſſima neglectaque politia, poſſet aliquid fieri VVittembergae, ſi adminiſtrationis eſſet ullus ordo.* Cumque adeo emendatae religionis principi, quem crebrius, uenerationis cauſa, nominaui, multo poſt, per uideatur mirum, *tantum eſſe gymnaſium, inter Vandalos, ortum*, facile iudicatu eſt, grauem ſatis cauſam, cur Mellerſtadium, inſtituti, ut tum apparebat, tam inepti, ſualorem, derideret, initio habuiſſe Septemuirum, utpote qui, pro ſapientia ſua, unde cognomen traxerat, intelligebat probe, oppidulum hoc naturam fautricem nequaquam eſſe nactum, in tribuendis opportunitatibus, quibus nulla ratione uſpiam carere nobilior aliquis ludus poſſet. At enim, quo magis referat, animum, in ſtudiis, ab omni incommodo ac moleſtia, ſincerum integrumque, promptum atque hilarem, conſeruari,

*Tomo I, a G. Coeleſtino edito, ep. 174.*

*Collectan. MSCtis, pam. 405, b.*

Digitized by Google

uari, hoc diligentius circumſpicienda ſunt amoena, quibus alatur is, excitetur, et, ad res ingenii gerendas, admirandum in modum, afficiatur. Quare Platoni, Ariſtoteli, Zenoni, Epicuro, aliis, philoſophorum facile principibus, uiſum eſt, extra urbem, in ſpatiis, arboribus conſitis, hortiſque, docere. Nec poetae errarunt, ubi Muſarum ſedem in montibus, nullo non tempore uiridiſſimis, finxerunt, quos Heliconem et Parnaſſum appellant, animoque ſuo, quoties aliquid, laude dignum, erat excudendum, Theſſala tempe, Peneo, flumine, et Oſſa, monte, iucundiſſima ſuauiſſimaque, ingenii honeſta uoluptate perfundendi et incendendi cauſa, repraeſentarunt. Athenis profecto, unde literarum gloria exorta eſt omnis, amoenius nihil, nec quicquam dignius Deorum, de perfruenda delectatione illa, certamine, ſol aſpexit. Nihilo magis iſti, quos commemoraui, ſapientiae magiſtri, urbanis his ingenii oblectamentis contenti, ſuburbanos potius, eoſque recreandis animis natos, receſſus quaeſiuerunt iuxta, atque frequentarunt. Quorum etſi nihil fuit VVittebergae, ex quo fructum oculis caperes, ſententia tamen ſua dimoueri non potuit Polichius, qui, aliis cauſis mouentibus poſthabitis, id ſolum urſit, contenditque, grati eſſe principis, ut, quod ipſum extulit ſolum, id uiciſſim extolleret, ac religioni ducendum

cendum

cendum *Electori*, prouinciae, qui cum dignitatem acceperit ampliſſimam, hoc honoris incrementum inuidere, idemque tandem, non ſine afflatu diuino, praedixit, Academiam, quae conderetur, cunctis Germaniae Lyceis caliginem offuſuram. Hac una uoce, ominis plena, percitus adeo eſt Septemuir, ut conſilio Mellerſtadii, diuinitus in mentem uenienti, repugnare amplius uereretur, et, quod deſtinarat, exequeretur hic et perficeret, atque, ad diſcendum quoduis diuinae humanaeque ſcientiae genus, quoddam uelut tolleret ſignum. Doctoris medici uaticinationem plures conſecutae ſunt, in quibus Ioann. Flecci, ſacerdotis clauſtri Steinlauſigienſis primarii, oraculum, ipſo inaugurationis die, e ſuggeſto ſacro, editum, prorſus eſt inſigne, futurum, ut ab albo hoc monte ſapientiae ac uitae flumina in uniuerſum terrarum orbem dimanent. Picus item Mirandulanus, teſte Capnione, apud Melanchthonem, dicere ſolitus eſt, artium bonarum id emporium fore aliarum fontem ſcholarum. Sane, aut ſtupidus ſit, neceſſe eſt, qui tantae molis tam tenue initium non intelligat, aut impius, qui Numinis prouidentiam incredibilem hanc non agnoſcat, nec rem, prodigio portentoque ſimilem, obſtupeſcat, nec denique, argumento minus fallaci, inde colligat, Deum,

*L. II, ep. 164, edit. Lond. 1642.*

quae

quae ſtulta, contempta, imbecillia, ſunt hominibus, delegiſſe, ut eos pudeat tum ſapientiae uae, tum roboris, ſecundum Paulli eſſatum, τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ θεὸς, ἵνα τοὺς σοφοὺς καταισχύνη, καὶ τὰ ἀσθενῆ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ θεὸς, ἵνα καταισχύνη τὰ ἰσχυρὰ, καὶ τὰ ἀγεννῆ τοῦ κόσμου, καὶ τὰ ἐξουθενημένα, ἐξελέξατο ὁ θεὸς, καὶ τὰ μὴ ὄντα, ἵνα τὰ ὄντα καταργήσῃ. Ὅπως μὴ καυχήσηται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ. Fridericum pariter, ac Martinum, euentus haud fruſtratus eſt, ſed, proſperrimo rerum ſucceſſu, confirmauit, ac, primo ſtatim anno, quingentorum, et amplius, ciuium concurſus in ſecundae ſpem fortunae erexit, atque illius ſigillatim cupiditatem ornandi oppidi, quam, aliquanto ante, in inſtauranda omnium diuorum aede ſacra, et arce, declarauerat, ad VVittebergae etiam amplitudinem et ſplendorem inflammauit. Illud praecipue operam dedit ſapientiſſimus Princeps, ut doctiſſimi quique, erudiendae iuuentutis cauſa, conquirerentur uiri, quos immunitatibus et priuilegiis prolixe donauit, iudicans rectiſſime, regiarum haec ſcholarum neruos, uitam ſpiritumque, eſſe, ſiue fulcrum, ſiue ſolem, ſiue aliud quiduis, ad rei naturam ſpectans. Incide neruos illos, auferuitam ſpiritumque, diruę fulcrum, tolle ſolem, pereant Aca-

1. Cor. I, 27, 28, 29.

 demiae,

demiae, corruant, in aeternis iaceant tenebris, oportet. Difficile iſtiuſmodi tempus, quo doctorum honos praemiumque, ingenti ciuitatis huius literatae damno, poſt Friderici mortem, labefactabatur, apud Hieronym. Bomgartnerum, Philippus noſtras ſic deplorat. *querelam tuam, de noſtra Academiola, nos παθόντες experimur, uerißimam eſſe. multis, magnis, incommodis, conflictamur. ad haec accedit ſeu contemtus literarum, ſeu noſtri neglectio, in iis, qui tueri publica ſtudia debebant.* Relatum me legere, memini, eundem, communis Germaniae praeceptoris elogio immortalem, identidem, coram Martino, indoluiſſe, exiguam doctrinae pariter, atque diligentiae publicae, mercedem, ab iniquis uictus cultusque pretiis, longe, ac altero tanto plus, ſuperari, et ſapientiam ac bonas literas profitentium emolumenta, quae Princeps iis alendis aſſignauit, detrimentis rei familiaris, illinc natis, perdi, ſemperque acceptorum et expenſorum prorſus impares eſſe rationes. Dabit B. L. ueniam, ſi, de induſtria, utrumque, mixto, ut conſueuerunt, ex Latinis et Teutonicis, ſermone, grauiter ac prudentiae ὀικονομικῇ conuenienter, accommodatiusque ad noſtrum ſeculum, colloquentem, inducam. *M. Philippus recitauit ingentes ſumtus huius ciuitatis, ut, hoc tempore, dupli-ci pecunia opus ſit cuilibet ſtudioſo, quam ante decennium.*

*Epiſt. XLII.*

*Ex MStis colloquiis ſerotinis D. M. L. non procul ab initio.*

*reſpondit D. M. L. experientia uidemus, ſed ruſtici, cum audiunt, ſuos Paſtores conqueri de uictu, dicunt, Oho, haben ſie ſich doch vorhin kœnnen behelffen; quibus ego ſaepius reſpondi, Ia, da mann eine Mandel Eyer umb 4.Pf., 1 Scheffel Rocken umb 2 Gr., kauffte, haben ſie es kœnnen enden, ſed, cum iam omnia triplici pecunia emantur, triplex eſt ſumtus, et ſtipendium tamen ſimplex.* Viuo autem conditore illuſtriſſimo, incredibile dictu eſt, quantus, mutata uelut, non ſine ſtupore ſenſuum, loci conditione, perfractiſque uel ipſius naturae repagulis, cunctis literarum ſtudiis apertus hic campus fuerit, quanta multitudo huc, tanquam ad mercatum bonarum artium, omnibus ex partibus, confluxerit, quanti, in nulla non eruditione, tum ſacra, tum profana, ductu praeſertim Lutheri, ac Melanchthonis, facti fuerint progreſſus. Certum eſt, et, autoritate iterum iterumque laudati hiſtorici, conſtat, multos, ex multitudine huc quotidie conuolantium, propter tectorum paucitatem, retroire fuiſſe coactos, et, linguarum cognitione, tantopere urbem creuiſſe, ut Graeci ſcriptores, a tota Germania non intellecti, hic fuerint enarrati. Nunc demum aliquod nomen eſſe VVitteberga, nunc agreſtes incolae, a barbarie ad humanitatem, ab inertia ad laborem, a ſtu-

*Tomo I epiſt. Luth. a Ge. Coeleſt. edito, p. 57. b. Collect. locor. commun. per N. Ericeum, p. 8, b.*

piditate ad ſolertiam, ab ſordibus ad munditiem, utcunque traduci, iidemque, mortalium pauperrimi, pecuniis hoſpitum ditati, tuguriola ſua ſtraminea et lutoſa cum aedificiis, pro temporis ratione, lautioribus, commutare, terrae, antea ſterilis, gremium mollire, atque, ad foecundum ſemen, ſubigére, alia, et aeris uitia, remotis ſtercorum quasi montibus, quibus, aliter, ac Roma, extollebatur, emendare, et, ipſe magiſtratus oppidanus, ſingulari prorſus honoris acceſſione, ita cohoneſtari, coeperunt, ut, frementibus licet ingratis, Academiae ſuam VVitteberga ſalutem, fortunas, famam, merito referat in acceptis. Tantum enim, beneficio Numinis, ciues facultatibus, intra breue temporis ſpatium, aucti fuerunt, ut, teſte illo, exceptione omni maiore, pater filiae collocatae, haud raro, dederit, dotis nomine, duo millia florenorum, Sed enimuero, memoratu omnium eſt digniſſimum, reuera, nec fallente, Flecci praeſertim, prudentis ſacerdotis, oraculo, quod ſupra ſignificaui, uitae ac ſapientiae flumina, ex hoc albo monte, quemadmodum nomen perperam tum interpretabantur, decurrere cunctas in gentes coepiſſe, cum, ut Philippus, in epiſtola, teſtatum reliquit, *fere ſingulis ſeptimanis miniſtri euangelii, hic publica ordinatione confirmati, mitterentur ad uicinas regiones,*

*In Colloqu. ſerotinis MST. D. M.L. init.*

*L. I, ep. 95, ed. Lond.*

*giones, unaque ſex pii et docti uiri, qui omnes, ut olim, profitentur, ſe uocem euangelii puram tradituros eſſe ſuis auditoribus.* Nec, ſilentio praeterire, fas eſt, perhonorificum Lutheri iudicium, *in tam ſtupida Saxonia eiusmodi eſt Vniuerſitas, VVittembergicam puto, cui non fuit ulla ſimilis ab Antiocho*, quod ſapientiae atque liberalium doctrinarum, ſpeciatim linguarum, Hebraeae, Graecaeque ac Latinae, coeleſtis item eruditionis, cultu, compluribus, quotquot antea fuerunt, iiſque clariſſimis, antiſtabat ingeniorum poliendorum officinis. Praedictionis illius, felici euentu comprobatae, maxima uis in admirabili eorum copia cernitur, qui, iam inde ab initio excitati Muſarum domicilii, ad noſtram uſque memoriam, non adeo ſupra ducentos annos, diuinarum humanarumque rerum ſcientiae doctores, uel, uno anno, quater, ſaepius inter bella peſtemque, ultra decem millia, creati, partimque in remotiſſimas puriorum ſacrorum regiones dimiſſi, Sarmatiam, Daciam, Daniam, Sueciam, ornarunt. Singulare id munus immenſa Dei benignitas VVittebergenſi Sapientum Ordini proprium perpetuumque conceſſit, ut is, ſemeſtri quoque ſpatio, iuuenum, publico honeſtatis et uirtutis teſtimonio iuxta, ac laborum uigiliarumque praemio, inſignium, tanquam colonias longe la-

*Collectan. locor. comm. Luth. p. 221.*

teque deduceret, aut, uelut ex equo Troiano, ſtrenuos milites, ad oppugnandas ſtudiorum peſtes, in aciem educeret, eorumque numero ac ſolennium celebritate, diuinitus fortunata, reliquas, in uniuerſum, Academias, uaticinante dudum ante Polichio, obſcuraret. Quare uos etiam, Candidati ingenuarum artium digniſſimi, propitia reipublicae huic literatae fata, qua decet religione, agnoſcite, nomina apud me ueſtra profitemini, atque, ad decus meritum debitumque, id eſt, ad utramque, tum Philoſophiae, tum Poetices, lauream, mox, maiorum more, capeſſendam, uos comparate, et, expectatione fortunae, tam ſalutari inſtituto deſponſatae ab Deo ac deſtinatae, animos ſuſtentate. Supereſt, ut ſummus honorum autor conatis annuat, et Academiae VVittebergenſi, haud obſcuro orbis miraculo, eidemque ſtabili pietatis, tranquillitatis, exquiſitiſſimarumque literarum, ſedi, largiatur Maecenates, qui labantem confirment, et immunitates cum primis, ſapientiae ac ingenuarum artium altrices, a conditore Friderico, non magis, quam Auguſto, amplificatore, ſancitas, fortiter tueantur, et ornamenta aeque, ac firmamenta, illius, immortali beneficio, ſarta, tecta, ad poſteritatem tranſmittant. P. P. pridie Nonas Quintiles, A. C. cIↄ Iↄ cc xv.

II

## II

## ORATIO SOLEMNIS DE SINGVLARI PLANE PROVIDENTIA DIVINA IN AVGVSTVM II SARMATARVM REGEM ET SAXONVM PRINCIPEM EL. ANTE QVAM SVMMOS SAPIENTIAE AC INGENVARVM ARTIVM HONORES CANDIDATI CAPESSERENT RECITATA XVI KAL. NOVEMBREIS A. C. cIↄ Iↄ CC XV

PRORECTOR MAGNIFICE PATRES CONSCRIPTI CETERIQVE AVDITORES O. O. HONORATISSIMI

PAucis abhinc menſibus ſperabam equidem, et tantum non confidebam; rerum moderatori omnium, Deo, uiſum iri, ut, poſt nubila, Phoebus, poſt funeſtiſſimum bellum, pax, pax, inquam, deſideratiſſima tandem aliquando affulgeret Saxonum terris. Totus horreo ac contremiſco belli illius cogitatione, cuius ingens flamma, ineunte hoc ſeculo duodeuiceſimo, in Liuonia exarſit, ac, Poloniam longe lateque peruagata, ipſam corripuit Saxoniam, eamque propemodum, niſi ardorem repreſſiſſet potentior aliqua uis, exuſſit. Intimis profecto

ſenſibus

ſenſibus diſcrucior, ſi annum eius ſpeciatim ſextum recogito, qui, patriae fatalis, exciſionem, inflammationem, euerſionem, depopulationem, uaſtitatem denique ei minabatur. Fatalem merito appello, quod iratum Numen, ad punienda populi delicta, tum ita fieri, uoluit, Gothorumque exercitum, non triginta, ut ipſi quidem uulgabant famam, ſed decem et quatuor circiter millium, fortiſſimorum certe hominum, huc immiſit, atque incolis tantum incuſſit terrorem, ut, ſi fieri potuiſſet, abiecta prorſus reſiſtendi ſpe, praecipiti fuga ſaluti ſuae, focis et aris derelictis, conſulerent omnes. Videor mihi uidere etiam nunc homines noſtros, uel ad rumuſculum impreſſionis hoſtilis, adeo expaueſcentes, ut, quo ſe uerterent, neſcirent, titubarentque, immo, de ſumma ſtatim rerum deſperarent. Aures itidem perſonant ſtrepitu diurno nocturnoque uaſa colligentium, ſeque, inter ſe, perpetuo ualere iubentium, fugientiumque hinc, terrore Panico, perinde, ac ſi hoſtis truculentiſſimus iamiam inhaereret ceruicibus, patriamque ipſi nunquam, niſi in ruinis, ſqualentem, uiſuri eſſent. Iure ridentur acutiores, ſcilicet, negotiorum exiſtimatores publicorum, qui contendunt, hoſtes a finium noſtrorum aditu haud aegre arceri, tot millia equitum peditumque ordinariorum,

rum, tot millia uenatorum, tot millia hominum, a nobiliorum praediorum poſſeſſoribus armatorum, tot millia, extra ordinem, defendendae patriae cauſa, coactorum, irruentibus Gothis opponi, ipſoſque, uel intromiſſos, facili negotio, ad internecionem deleri, aut, in hibernis etiam, Siculorum more, ab hoſpitibus contrucidari, potuiſſe. Faciunt nae hi pragmatici intelligendo, ut nihil intelligant, ac iuſtiſſimi mortalium iudicis, flagitia perſequentis, conſilium eludunt, et, haud ſecus, ac caſum, extenuant, quippe qui potius, tolerantia ſcelerum defeſſus, ex Septentrione, quaſi uocauit direptores, iiſque, conuulſis ubique repagulis, uiam per flumina, Viadrum et Albim, ſiccitate, plane ſingulari, uadoſa, prout tum aeſtuoſa coeli tempeſtas erat, in uiſcera medullaſque Saxonum, patefecit, ut incolas ſecuros, ac, pollicitatione Regis Gothici, de non perturbandis Imperii Romani prouinciis, in comitiis Ratiſponenſibus, facta, nimium confiſos, adeoque a neceſſariis defenſionis iuſtae ſubſidiis prorſus imparatos, opprimerent iuxta, atque male mulctarent. Ecquis ſic, calamitatem illam patriae fatalem fuiſſe, negaret, quam quidem maximam, nec, niſi exciſione totius regionis, terminandam, Carolus XII animo intenderat, ſed Deus, pro immenſa miſericordia, temperauit, ac ſatis habere hoſtes coegit,



Digitized by Google

ſi auro argentoque ſpoliarent Saxonas, et, cum pauperes, nudi et ſtrigoſi, acceſſerint, diuites, bene ueſtiti ſaginatique, abirent, quod, anno ſeculi huius ſeptimo, menſe Septembri, factum, non ſine acerbo doloris ſenſu, recordamur. Quanquam uero ex illorum, qui nos ſpe iam iam deuorauerant, ore ac faucibus erepti ſumus, metus tamen inſtantis maioris longe tempeſtatis, quae Saxonum horum nomen penitus deleuiſſet, haud ita pridem demum euanuit, cum, paucis ante menſibus, Gothorum exercitus, nobis infenſiſſimus, a foederatis, acceſſione Regis Boruſſiae auctis, in anguſtias Straleſundiae, urbis, Rugiaeque, inſulae, concluderetur. Nunc tandem aliquando recuperandae pacis ſpem animo conceperam, ac, hoc ipſo Ordinis noſtri feſto die, Deo immortali, pro confecto formidoloſiſſimo bello, decreueram ſupplicationes, ſed, eo nondum, in Germania, finito, quod tamen propediem, aut Straleſundiae Rugiaeque, aut Caroli XII, pluſquam ferrei, atque obſtinatiſſimi, ad perniciem noſtram, animi, expugnatione, fiet, opportunius Numini uota perſoluendi tempus expectabo, ac, in praeſens, ueſtris haud ingratiis, Prorector Magnifice, ceterique auditores o. o. honoratiſſimi, ſingularis prorſus diuinae prouidentiae documentum, in illuſtri monumento, Auguſto II, Sarmatarum Rege, ac Saxonum Principe

cipe

Digitized by Google

cipe EL., poſitum, ſubiiciam, pro ratione temporis, breuiter ſub aſpectu ueſtro. Magna uis eſt prouidentiae diuinae, qua mundum adminiſtrari, uniuerſisque ac ſingulis conſuli rebus humanis, ne ipſi quidem ſapientiores deorum cultores diſſimulant, ſed anguſtis eam finibus deſcribunt, eiuſque officium maxime in προνοίᾳ, id eſt, rerum futurarum praeſenſione, ponunt, caſuſque ac fortunam, fatum item, quae, re ipſa, idem ualent, plane diſtinguunt. Nos, contra, diuina luce colluſtrati, longiſſimis illam terminis excurrere, tamque late, ſtatuimus, patere, quam communem rerum naturam, cunctaque in ea, uel contemtiſſima uiliſſimaque, ipſi ſubiecta eſſe, ac iſtam hominum uitam et actiones moderari, nulla tamen adhibita ui, quae libertati, in bonis maliſue eligendis, a Deo conceſſae, noceret. Haec coeleſtis cura cum ad uniuerſos pertinet, tum maxime in principibus tanto eſt illuſtrior, quanto magis illi eminent, diuinoque, in terris, munere funguntur, ac, hoc uno etiam nomine, praeter ceteros, domino ſuo in deliciis ſunt amoribuſque. Reſponſum Caroli v in uulgus notum eſt, quod dehortantibus, ne, in praeliis atque obſidionibus, praeſenti uitae periculo ſe offerret, dediſſe, fertur, regem, hoſtis manu, aut telo, non facile cecidiſſe unquam, quippe praepotentis tectum praeſidio ac muni-

 tum.

tum. Quod latere nemini poteſt, qui hiſtoriarum monumenta uel leuiter attigit, relatumque ibi legit, tanti faſtigii homines ſibi ſaepe minus, quam gregarios milites, pepercisſe, duxiſſe, praeeundo, ordines in confertiſſimum agmen hoſtium, miſcuiſſe certamini ſe hinc, illinc, ictuſque telorum aduerſo pectore excepiſſe, ipſos manum conſeruiſſe cum pluribus, ac multos trucidaſſe, tandem, pugna utcunque pugnata, per mediam hoſtilem aciem, per inſidias medias, per cunctos aduerſos caſus, ſaluos euaſiſſe. Profecto res eſt dictu incredibilis, nec aliunde, niſi ex capite maieſtatis, particula diuinitatis, potior huius ratio deſumenda. Non tamen exempla eorum deſunt, quos Dei prouidentia, quam minus religioſi fortunam dixerint, in hoc terrarum orbis theatro, mirifice exercuit, iiſdemque, huc, illuc, ſurſum, deorſum, ultro citroque, agitando, tanquam pilis, luſit, ipſiſque aliam atque aliam impoſuit perſonam. Modo uictores triumphum agunt, et, ſupra mortalium conditionem, in coelum ſe euectos, credunt, uel Deum, gigantum more, de ſede ſua deturbare, audentes, modo captiui in triumpho ducuntur, proſternuntur humi, et ad pedes proiiciuntur. Nunc, ob rerum glorioſiſſime ac magnificentiſſime geſtarum admirationem, formidantur, nunc, ex altiſſimo hono-

ris

ris gradu, aduerſa fortuna, praecipitati, penduntur flocci. Si quis unquam, auditores, diuinae uim prouidentiae ſenſit, is certe eſt Auguſtus II, Sarmatarum Rex, et Saxonum Princeps EL., quem naturae alioquin artificium recte nominabis, cum in eo, quid efficere poſſit, uideatur experta, animumque pariter, ac corpus, tantopere ornauit, ut, ſi fortuna reſpondiſſet, omnibus numeris partibuſque abſolutus, ſummo iure, cenſeri deberet. Ita uero ego iudicans, nihil amori in Herum meum, multo indulgentiſſimum do, nihil indulgeo pietati, nihil uenerationi tribuo, tantumque ab adulandi ſpecie, quantum a neceſſitate, abſum, ueſtigiiſque non oratoris hic inſiſto, ſed hiſtorici, qui ueritatis norma tantum ſua metitur. Teſtor conſcientiam ueſtram, qui Auguſtum, de facie ſaltem, aut in pictura, noſtis, putatisne auguſtiorem corporis dignitatem fingere naturam, ſi cunctos contendat neruos, poſſe, in cuius uultu inimitabilis, uel Apelli, et maieſtatis, et clementiae, temperatio reperitur. Obſecro uos, qui ipſum coram uidiſtis, num, in intuendo ſemel, iterumque ac ſaepius, defixi, aſpectu illius potuiſtis ſatiari. Oculos ſpeciatim Regis, ac frontem, exquiſitum naturae fautricis ſpecimen dixeris, in quibus, admirabiliter formandis, ſtudioſiſſime haec elaborauit, tantam-

que maieſtatis partem poſuit, ut ſpectantium ora in ſe conuertant, animosque, magnetis inſtar, attrahant rapiantque in maximam ſui uenerationem. Quod ad reliquas corporis partes attinet, neque plura bona reminiſci, neque maiora conſequi potuiſſet decora, quam quae in ipſum effectrix illa rerum omnium, uis coeleſtis, profudit. Incredibile nominatim robur miraculo erit poſteritati, quae, ut ex ungue leonem, ita ex tam magnifico domicilio animum excelſum, fortem, et quibuſuis fortunae iniuriis multo ſuperiorem, aeſtimabit, ac praeſtantiſſimorum noſtri ſeculi heroum facile principem praedicabit. Nec alium eſſe, oportebat, cuius caput aduerſiſſimis tot caſibus, tot extremis diſcriminibus, obiiciebatur diuinitus, quique, maximis Imperii Romani turbinibus ac fluctibus, Sarmatiae gubernaret nauem, ſaluamque in portu collocaret. Sciatis enim, auditores, anno, ſupra milleſimum ſexcenteſimum, nonageſimo ſeptimo, quo Princeps EL. noſter, Fridericus Auguſtus, Rex creabatur, nondum in ordinem redactos, Thraces et Scythas multum adhuc negotii Germaniae faceſſiuiſſe, nec debellatum cum Gallis, qui, mortuo Ioanne III, Principem Contium, obtrudere Sarmatis, adhibitis omnibus machinis, nitebantur. Res erat cum nomini Teutonico, tum maxime domui Auſtriae fi-

nitimae, deteſtabilis, totaque contentione, ac uelis, ut ita dicam, remisque, fugienda, ne quis, ex Ludouici XIIII, ſingularis, in Europa, potentiae, quam μοναρχίαν uulgo uocant, monſtrum alentis, familia, Sarmatis praeeſſet, utpote cui nunquam occaſio defutura foret uicinos laceſſendi, ac meliorum ſtudioſos partium diſtringendi, atque multa in ipſorum prouincias mala inferendi. Peropportune peſtiferis inimiciſſimi Galli conatis, quae famoſus ille purpuratus Romanus, et regni primarius, Radzieiovvſkius factione ſua fulciebat, non ſine nutu diuino, Auguſtus noſter interuenit, et, grauiſſima Caeſaris, Ruſſorum Imperatoris, aliorumque principum, commendatione adiutus, peruicit, ac, diſcuſſis aduerſariorum tricis, competitorem fuga ſalutem quaerere, ac Gallias repetere, coegit, eoque Germaniam, bellis ſaepius infeſtam, immortali beneficio, reddidit a tergo tutam ſaluamque. In hanc ipſam gentem Auſtriam ingentium Regis meritorum cumulus extat, quorum multitudinem cum dicendo aſſequi non queam, extremo duntaxat digito, unum ſufficiat memorabile uirtutis teſtimonium attigiſſe. Poſteri enim non neſciant, anno huius ſeculi ſecundo, Hieronem, legatum Gallicum, nulli profecto rei pepercisse, ut Auguſtum, ad Boiorum Principis EL., qui tum fidem religionemque fregerat, et ad inſen-

ſenſiſſimum hoſtem defecerat, peſſimam cauſam adiungeret, iſque copias, in Saxonibus, eo tempore, ſe tenentes, cum aliorum principum agminibus, quae aduerſus Imperium Romanum arma ferrent, coniungeret. At tantum abſuit, ut potuerit ille permoueri, ut potius octo millia militum in Boioariam, ſignis infeſtis, ducenda, permitteret Caeſari Leopoldo. Hinc origo repetenda malorum omnium, quibus Rex noſter, niſi diuina eum ſubleuaſſet prouidentia, tantum non fuiſſet oppreſſus. Namque Ludouicus, XIIII, poſtquam fruſtra tentaſſet conſtantiam ipſius, ulciſcendi furore adeo exarſit, ut cum Carolo ſuo, contra Auguſtum, ueluti coniuraret, Sarmatas, ad perfidiam per ſe procliues, egregio, ſi diis placeret, adiutore Radzieiovvſkio, admotis tanquam facibus, in rabiem ageret, et, excuſſo radicitus pietatis ſenſu, extinctoque ſanae rationis lumine, ad regem ſuum, proh hominum ſcelus, diuina dignitate impelleret exuendum. Vix, ac ne uix quidem, in tyrannum talia licere ciuibus, ſtatuunt philoſophi, ueri Numinis expertes, ecquo ore, qua fronte, in regem ſuum, eundemque multo benigniſſimum, auſi fuerunt. Refugit hic animus, et meminiſſe horret conſilii inuentique, de deiectione regis de ſolio, ſeu, *dethroniſatione*, quod uocabulum, ut ab initio inde hominum

gene-

Digitized by Google

generis, fere inauditum prorſus, et barbarum, ita res ipſa, diuinis iuxta, atque humanis, iuribus contraria, deteſtabilis eſt, pluſquam barbara atque crudelis, ut ſtupeam, in mentem uenire id potuiſſe Carolo XII, Gothorum regi, cetera forti et magnanimo, de quo nihil tam magnifice dici poteſt, uirtus eius quin ſuperet, diſpliciturо tamen, hoc uno facto, poſteritati, ab omni partium ſtudio uacuae, quod ſubiectos alienos, iurisiurandi uinculis domino ſuo arctiſſime obſtrictos, igne ferroque, urgere uoluit, ad manum ipſi inferendam, et caput diademate, quod ei, miniſterio reipublicae, ſummus regnandi autor impoſuit, ſpoliandum. Si hoc non eſt conſcientiis dominari, neſcio, quid ſit, id quod ſibi tamen ſoli immortalis illarum dominator reſeruauit, ſuique tantum iuris eſſe, uoluit, nec cum quoquam mortalium communicare, ſi uerum quidem eſt, de quo nemo, religione, uel minimum, tactus, dubitabit, Spiritus S. effatum illud, Deum eligere reges, atque abdicare, hos regere per eum, illosque ipſius unctos eſſe, et, in terris, uicarios praeſideſque. Aduertite hinc, auditores, quantum interſit Numinis optimi, maximi, immo, cultioris totius orbis, principem aliquem magnum bene educari, eiuſdemque animum, a pueritia, ſincerae ſtudiis ſapientiae imbui, iuris ſigillatim, diuini et humani,

D praе-

praeceptis inſtrui, ac rerum et euentorum hiſtoriis erudiri, literarumque humanitate perpoliri, atque adeo ab aſperitate, ad manſuetudinem, ab effrenato potentiae et gloriae appetitu, ad rationis obſequium, a motibus uehementioribus, ad tranquillitatem, tranſferri, edoceri denique, clientes non principis, ſed principem clientum, cauſa, exiſtere, hoſque tutari, debere. Nihil Caroli praeconio, quod, paullo ante, iure impertitus ſum, detrahes, ſi, illa in ipſo deſiderari, propterea affirmes, quod naturam ſaepe ſuam, ducem non ſemper optimam, poſthabitis plane prudentibus uiuendi agendique magiſtris, ſecutus, in grauiſſimorum procuratione negotiorum, ſecum loqui ſolum, ſe ſolum adhibere in conſilium, ſe ſolum audire, ſibi obtemperare ſoli, adhuc conſueuit, et, propoſiti ſui, Deo pariter, atque hominibus, inuiſi, tenax, inuadere Saxoniam, in Ruſſiam irrumpere, Thraciam concitare, praeſens maluit, quam Finniam, Ingriam, Liuoniam, Pomeraniam, ab hoſtium impreſſione ſartas, tectas, conſeruare. Etenim his potius, contra, ac naturalis, erga illas, parendi lege ſibi deditas addictaſque, prouincias, amor, et Gothorum imperii ſalus, ſuaſit, praedae hoſtium relictis, toto pectore in hanc curam et cogitationem, dies noctesque, incubuit, ut Sarmatas, iureiurando Auguſto deuotos,

uotos, a fide clientelae abſtraheret, ac, macula laeſae maieſtatis, atque manifeſti periurii, aſpergeret aeterna. Potuiſtine, Rex, pietatis laude, ad miraculum, inſignis, tuos, qui ſupplices, per Deum immortalem, per ſacra omnia, per ſalutem denique ſempiternam, implorarunt opem tuam, deſerere, et, quod fide laborabit apud poſteros, miſerabilibus pereuntium lamentationibus obturare aures, cruciatibuſque, ac ferro et igni, duriſſimae item ſeruituti, quaſi dedere innocentes, ut, ipſorum interitu, ne quidem loco mouerere. Nihilo enim ſecius in Sarmatia perſiſtebat Carolus, cunctaſque machinas ad Auguſtum, de regia ſede deturbandum, adhibebat, ac ſacroſanctam, quam ipſi ſummus rector et dominus, inter mortales, induerat, perſonam, repugnante licet, ipſo, detrahere, inaudito prorſus exemplo, conabatur, eoque factum Numinis praepotentis reddere infectum, ac maieſtatem, quam nunquam dederat, auferre. Vtinam, in diuiniore ſcriptura, quam nocturna et diurna uerſare manu perhibetur, hiſtoriam Sauli et Dauidis recte perpendiſſet, abieciſſet, credo, conſilium peſſimum atque damnaſſet. Nam ex libro primo Regum, ut inſcribitur, conſtat, Deum regno Iſraelitarum exuiſſe Saulum, idque huic, interprete Samuele, indicaſſe, quod, in delendis funditus exſcindendiſque Amalechitis, illi dicto non audiens,

 peco-

pecori pepercit, in abdicati uero Sauli locum ſuffeciſſe Dauidem, atque, ungendi ceremonia, inauguraſſe. Qui, etiamſi, diuino mandato, fuerit rex conſtitutus, et, ea de cauſa, ad internecionem uſque, ab aduerſario ſuo, crudeli inſectatione, agitatus, tantum tamen abſuit, ut bellum iſti indiceret, ipſumque, uerbis factiſue, laederet, ut ſeruaret incolumem, quotieſcunque, quod ſaepius factum, in poteſtatem ſuam fato uenerit, et ad huius caedem impellentibus reſponderet, auertat regum arbiter, manus ut aſſeram inuncto Dei, uel hoc ſolo nomine, quod eſt Iouae unctus. Quae profecto ratio non temere ab ſapientiſſimo Dauide, eodemque iuris diuini peritiſſimo, adiecta, et a Spiritu S. literarum monumentis eſt prodita, ut intelligerent homines, unde maieſtatis duceretur principium, et quantum ipſi pietatis deberetur. Recte igitur Amalechita ille ementitae audaciae poenam luit, quem, cum Sauli mortem nuntiaret Dauidi, iactaretque, ſe illum, à Palaeſtinis uictum fugatumque, ipſiuſmet obteſtatione, ne uiuus ab hoſtibus caperetur inſequentibus, atque illuderetur, interfeciſſe, uiciſſim necari, is iuſſit, quod, impura manu ſua, perdere Dei unctum, haud dubitaſſet. Nec bene ſibi conſulunt principes, ſi peſtilens dogma, de libera ſubiectis abrogandi imperium alicui facultate, in uulgus emanare, altius-

que

que in animis alioqui non ſatis piorum, erga imperantes, inſidere, ſinunt, ac nihil minus, quam Chriſti diſciplinam colunt, qui partim impietati ciuium, res nouas molientium, arma miniſtrant, ignemque ac materiam ſeditioni ſubdunt, partim, et pollicitationibus aureorum montium, et minis, parentium fidem ſolicitant, eoſque, qui ſe nolint tam nefario ſcelere pollui, crudeliter perſequuntur. Priuare quidem ditione uictum, uictori licet, iure belli, atque illius arbitrio obnoxios redigere in poteſtatem ſuam, et iureiurando ſibi deuincire, ſed, cogere hos iurare in alterius, ex perfidis popularibus, uerba, uiolentaque hac atque temeraria abdicatione, ſaeuire in caput legitimum, non licet, idque, luculento Dauidis exemplo, patet, qui, quanquam probe ſciuit, Saulum a Numine reiectum, et ſibi, a Samuele, ſummi rectoris adminiſtro, concreditum eſſe regnum, maieſtatis tamen illius etiam nunc obſeruantiſſimus, regios faſces uſurpare, ac, deiecto ueteri poſſeſſore, conſcendere ſolium, religioni duxit. De nota, Caino appoſita, cuius admonitu nemo non manus ab eo abſtineret, inter eruditos nondum conuenit, nec, illam habere perſpectam, mea refert, ego uero minus errare mihi uideor, ſi maieſtatem ſtatuo, in homine imperante, ſignum dignitatis haud uiolabilis, diuinitus ipſimet, ſingulari prorſus



Digitized by Google

ſus beneficio, impreſſum, infixumque, ac ſolidam Dei imaginem, in his terris, eſſe, nec ſceleratorum iniuriis delendam, aut, ui alterius eripiendam, quippe quam maxime, ſancti autoris cauſa, reuereatur quis, nec, ullo oppugnare modo, auſit. Idcirco poetae, non inepte, reuerentiam et honorem maieſtatis, de coelo in homines infuſae, parentes, pudorem et metum cuſtodes nutritiosque, finxerunt. At rerum dominatorem omnium, inquies, ſecus, atque in ueteri Inſtrumento, nunc ſine interprete uoluntatis ſuae, diuinis mandatis inſtructo, committere alicuius fidei atque tutelae populum, adeoque non liquere ſatis, huiuſne, uel illius, renuntiatio ſe habeat recte. Salua tamen res eſt, credendumque, optimis auſpiciis ea geri, quae reipublicae, aut ordinum regni, quibus impertiendi honoris poteſtas data eſt, concordibus ſuffragiis peragantur, non aliter, ac reliqua cuncta, ab hominibus, diuinis et humanis legibus conuenienter, expedita. Conſenſus, inquam, eorum, qui creandi facultate praediti ſunt, honeſtis declaratus modis, Dei uox eſt, creatumque ita coelo quaſi delapſum haud dubie uideri, nec ille, contrario, uel ad unum, omnium conſenſu, temere, niſi honos ſanctiſſimi regnorum conditoris periclitetur, eique magis, quam hominibus, parendum ſit, rurſus aboleri, minuſque pro ludo ac ioco haberi,

poteſt,

poteſt, nec euehere ad tantum dignitatis faſtigium, et detrudere de eo, unius arbitrii eſt eiuſdemque. Non dubito, quin Carolus, ſi non ex iure naturae, attamen ex ſacris noui Foederis tabulis, didicerit, ea, quae tibi non uis fieri, alteri nequaquam facienda, nihilo tamen minus, ab initio ſtatim durantis adhuc belli, ſuopte, opinor, ingenio, aetate nondum ſatis confirmato, eoque monitoris impatiente, cogitationem deponendi Auguſtum imperio ſuſcepit, quam in alio, ſi idem ſibi ueniſſet uſu, deteſtatus fuiſſet, et exemplum ipſe grauius in Liuones quondam ſuos, Patkulium aeque, ac Paikulium, ſtatuit, ſeueriſſimeque deſertae fidei iniurias uindicauit. In hoc etiam Sarmatarum Regi plane diſſimilis, quod, quantum quidem conſtat, inaudita clementia, nullius inimici ſui, uel capitis iure damnati, aut crudeliſſimum ſupplicium promeriti, ſanguinem, uoluit, profundi, carceris, nec duriſſimi, poena contentus. Teſtatior res eſt, quam multis ut demonſtretur teſtimoniis, cum primis de gente, clientelae ſuae diuinitus tradita, cui, etſi, non exiguam partem, perduellionis, perfidiae, periurii, delictis ſe maculauit, gratiam tamen tot criminum laeſae maieſtatis fecit quam ſaepiſſime. O lenitatis tantum non coeleſtis documentum plane memorabile, quod morum magiſtri notent, et, in praeceptis inſti-

inſtitutiſque ſuis, poſteritati commendent. Ceterum, in uiam rediens, non poſſum, quin hic ſingularem prouidentiam diuinam debitis extollam laudibus, quae Auguſti uicem, tum in Carolo, tum in Stanislao Leſczinſkyo, egregie ulta eſt, quorum alter, ut ſupra dixi ſaepius, maieſtatem ab homine, ſacramenti lege regi ſuo arcte obligato, uiolari, uoluit, alter, deteſtandum in modum, uiolauit, utriſque iram coeleſtem ſat expertis, quae, ut Val. Maximus, non ſine afflatu diuino, ait, lento quidem gradu ad uindictam ſui procedit, tarditatem tamen ſupplicii grauitate compenſat. Sic unctum uere ſuum Ioua tutatus eſt, nec, opprimi, paſſus, quamuis premeretur, duriſſimiſque caſibus iactaretur. Ecquis prudens dixerit, fortuito id factum, ac ſine Numine, quod uti uniuerſum hoc, ita mortalium moderatur ſingulorum actiones, idemque tum eos, qui, pecudum ritu, affixi terrae, in diem uiuunt, et nullo ſuperorum ſenſu tanguntur, rerumque humanarum curſum naturae, neſcio cuius, certo fixoque ordini aſcribunt, uecordiae arguit, tum maxime principes admonet, ut, diuinae ſuae originis haud immemores, ad Deum perpetuo reſpiciant, ab eiuſdem nutu pendeant, cumque imminutae maieſtatis crimen, in ſe admiſſum, uitae bonorumque iactura dignum, nec immerito, reputent, eo magis, propter

aeter-

aeternam animi ſui ſalutem, ſummo tam praecipuae, in tot hominum, ſibi concreditorum, millia, autoritatis principi ſe deuinctos, credant, eumque, ſua ſorte, infinitis partibus, ſuperiorem, agnoſcant, et ſuos ei faſces, pulueris inſtar cineriſque, ſubmittant, ac muneri ſuo ſanctiſſimo perinde, atque, rationum accurate reddendarum cauſa, moleſtiſſimo, ſatiſfaciant, caueantque, ne ipſi aliquando, in ultimo totius orbis iudicio, diuinae maieſtatis citentur rei atque damnentur. Tanta ſane ſunt uerborum pondera, quibus, hoc in argumento, ſcriptores, tacti ſpiritu diuino, utuntur, ut, caecus ſit, oporteat, cuius oculos, diuinae maieſtatis, homini inſitae, fulgor minime feriat, quique haud uideat, niſi profligatiſſimum et perditiſſimum, inducere animum non poſſe, regem exautorare ſuum, nulloque id modo licere, niſi hic ipſe in conditorem ſuum ſumme impius, reipublicae, quodam modo liberae, pactis conuentiſque non ſtet, aut iuſiurandum, ciuibus praeſtitum, frangat, ſeque ipſemet ampliſſimo hocce munere, non ſine diſertis conditionibus ſuſcepto, reddat penitus indignum. Horum nihil Auguſtus admiſit, prius nihil poſteriuſue, Sarmatiae commodis, habens, quam mirifice locupletauit, ac, ſanctioris promiſſi memor, priſtinum regno decus et robur

reſtituturus, partes, aliena ui, a corpore auulſas, non ſibi, non Saxonibus, ſed reipublicae, ſed Sarmatis, non horum, ſed ſuorum, ſumtibus, interiecto ſex annorum ſpatio, octoginta *milliones*, quos barbare ratiocinatores uocant, ſuperantibus, recuperare iuxta, ac commercia, multis, Oliuenſi paci contrariis, modis perturbata et impedita, ſtuduit uindicare. Ecquis ingenuus rerum arbiter inſitias ibit, regem regno ſuo fauiſſe ita et cupiuiſſe, ut uel ipſi patriam, charitates complexam omnes, poſtpoſuiſſe, Saxonumque ſucco et ſanguine Sarmatas nutriuiſſe, uulgo uideretur, atque adeo hos illorum tributis, militibus, deliciis, et ditaret, et firmaret, et ornaret. Faceſſant hinc igitur longiſſime, qui uociferantur, ac perſuadere nituntur operoſe, Auguſtum Sarmatiae inſidiari uelle libertati, atque iugum ipſi imponere, quam tamen, dudum pro comperto habuit, millies magis perituram, quam ſeruitutem paſſuram, ac, nec bellis, nec fame, nec morbo peſtilenti, eo adigi unquam potuiſſe. Equidem uocem mihi uideor audire, conſilium, de conſtituendo nouo populi Martii capite, prudentiae cauſa, laudantem propterea, quod Gothorum terris, a finitimorum armis, hoc rerum ſtatu, quieturis nunquam, multa mala imminebant, quibus ut occurreretur, quocunque modo fuiſſe utique

tique prouidendum. At, neque hoc rationis momentum ualet, indeque conficeretur, qui cum bellum geratur, eum confeſtim ipſum, ob metum mali, ab hoc impendentis, neſcio tamen cuius, fortaſſe nequaquam futuri, orbandum eſſe regentis autoritate, conſequeretur porro, imprudenter egiſſe foederatos Imperii Romani, quod a Galliarum rege, Ludouico XIIII, infinitis damnis, prouinciarum uexatione, urbium exciſione, agrorum depopulatione, damnis, dico, reparandis nunquam, toties affecti, in aduerſarii ſui perpetui, eiuſdemque infeſtiſſimi, deiectionem, regia de ſede, praeter cetera, non conſpirarunt amice, neque arma prius de manu depoſuerunt, quam ille altiſſimo honoris gradu fuiſſet depulſus. Enimuero, talis bellandi ratio uix barbaris gentibus eſt uſitata, nedum apud cultiores audita. Sic rex ab rege, princeps a principe, magiſtratus a magiſtratu, neutiquam tutus foret, ſumma miſcerentur imis, ac maieſtas, priuilegium Dei, ludus fieret et iocus, iura perturbarentur diuina et humana, inimicitiae ac ulſciſcendi cupiditates eſſent immortales, nec firma pacis ſpes ulla relinqueretur, cum exautoratus, exiſtimatione amiſſa, amittere uitam, extrema quaeque conando, faceſſendoque negotium, nunquam deſiturum, non uereretur. Carolus uniuerſo hominum generi documento eſt, quam male ſuc-

ceſſerit hoc inuentum, ſeque in difficultates coniecerit inexplicabiles, ac cunctorum, ceteroqui Gothorum nominis cupidorum, animos abalienauerit, quod, licet, in rem ſuam, nec ſuperos flectere, nec Archeronta mouere, potuerit, nihilo minus, contra fortunam omnem, ſpei inſtitit, amicisque, ſaniora ſuadentibus, non auſcultauit, uel mentionem optatiſſimae pacis, ſtudiaque eius conciliandae aliorum, plane aſpernatus, immo, conciliatores illius, niſi iniquioribus poſtulatis ſuis fauerent, hoſtium ſe habiturum loco, non obſcure teſtificatus. Siccine, Rex optime, optima, honeſtiſſima, ſaluberrima, tibi tuiſque proſpiciendi ratio et uia, conſilium tuum uidebatur. Tantaene coeleſti animo irae, ut, ſpretis pacis conditionibus, haud contemnendis, quas Caeſaris, magnae Britanniae, foederatique Belgii Ordinum, oratores, ineunte mox bello, deferebant, ſaeuire in tui ſimilem, propinqua cognatione coniunctum, et uicinum, apud te ſtatutum firmiſſime haberes atque deliberatum, nec prius, memorabili iracundiae exemplo, deſiſtere propoſito immoto fixoque, quam aduerſarius ille tuus regno non ſolum, ſed et regia ſe abdicaſſet poteſtate. Tibi, alias uirtutibus, perſona tanta digniſſimis, explendeſcenti clarius, uenia maieſtatis dicere mihi liceat, uel a tuis, te haud ſecus, ac Deum, uenerantibus, uitio ſane uertitur, praeceps uindi-



Digitized by Google

uindicandi cupiditas,ac,quod huic conſequens eſt, inexpugnabilis illa animi obſtinatio, de qua,citius coelum ruat, quam quicquam remittatur. Ab his, tanquam turbidis fontibus, peſſima quaeque profluxerunt, uidelicet, tot regnorum ruinae, tot urbium, tot pagorum cadauera, tot millium internecio hominum, ferro, igne, fame, peſte,tot millium in duriſſima Barbarorum uincula coniectio,tot millium offenſio,percuſſi, cum deteſtando Chriſti hoſte, Thrace Scythaque,foederis cauſa, quos, horrendum dictu, arctiori coluit amore,atque adoriendi Sarmatas aeque,ac Ruſſos, libidine incendit Carolus, quod tamen bellum, in flammam, cunctae Chriſtianorum reipublicae exitioſam,erupturum, immenſa Dei benignitas, praeter opinionem omnium, non ſine prodigio portentoque, extinxit. Nulli enim credent poſteri, ullo fieri modo potuiſſe, ut Ruſſorum exercitus, millium uix triginta, qui, ſimul cum ſummo ipſius Imperatore, ad Moldauiae fluuium, Prutium, in anguſtias redactus, diraque fame propemodum confectus, cadaueribus ueſcebatur, a Barbarorum multitudine, centum millibus militum maiore, non funditus fuerit deletus. Quin ad ſummum inopiae uenienti, ac, neque conſilii, neque auxilii, copiam habenti, uelut e machina, Deus ſuccurrit,atque iam iam pereunti,licet uehe-



Digitized by Google

mentiſſime contradiceret, qui tum in caſtris illorum erat, Gothorum rex, dedit ſalutem, eoque Ruſſos periculo, aut praeſentiſſimae necis, aut captiuitatis, liberauit. Luculentum id prouidentiae diuinae argumentum eſſe, nemo, niſi maleuolentia et liuore ſuffuſus, diffitebitur, ſed luculentius longe et praeſtantius illud mecum, grata mente, agnoſcetis, quod praepotens huius uniuerſi rector Thracum Scytharumque irruptionem, iterum, iterumque ac ſaepius, intentatam, a Sarmatarum regno auerruncauit, impendentemque Auguſto tempeſtatem formidoloſiſſimi belli, immenſa omnino bonitate, ſaepe diſcuſſit. In uiam ego, auditores, redeo, indignitate ſocietatis, cum inimiciſſimo hominum genere, factae, longius a propoſito abreptus, atque ad annum milleſimum ſeptingenteſimum quartum et quintum, ſpeciatim, ad infandum diem, qui in faſtis Chriſtianis eſt duodecimus menſis Iulii, et quartus Octobris, reuoco animum atque reflecto. De hoc iiſdem fere uerbis mihi liceat uti, quibus, de nuptiis illis Pariſienſibus, uſus eſt uir ſummus, Chriſtophorus Thuanus,

*excidat illa dies aeuo, nec poſtera credant*
*ſecula, nos certe taceamus, et, obruta multa*
*nocte, tegi prauae, patiamur, crimina gentis.*

In campum uos adduco, ad Varſauiam, qui, ut

rerum, contra ius faſque, contra diuina et humana inſtituta, contra bonos gentium mores, contra rationem denique, geſtarum, dedecore infamis eſt, ita amplum prouidentiae diuinae, pro Auguſto excubantis, aperit theatrum. Hic Carolus poſtulatum, de reiiciendo rege, alioque ſufficiendo, quo Sarmatarum aures, iam inde ab aliquot annis, obtuderat, ipſe aggrediebatur exequi, aderantque palatini quidam foederati, ac ſacramento conſtricti, cum praeſide Radzieiovvſkio, regni principe, paucisque aliis, alius cauſa, delegatis, iidemque, publicato ante, per ſpeciem uiolatae fidei, et iurisiurandi, reipublicae dati, interregno, regem, ſcilicet, deſignabant palatinum Poſnanienſem, comitem Staniſlaum Leſczinſkyum, ipſumque, anno poſt, abſente ſolum purpurato iſto Romano, eoque fautore candidati quondam Galli, coronabant. Operae pretium eſt, auditores, hoc loco aduertere, quantum interſit diſcriminis, fictam inter et commentitiam Staniſlai, ueramque illam ac ſolidam Auguſti, maieſtatem, quidue aera diſtent lupinis. Ille enim perduellis ipſe, a perduellium globo, id eſt, palatinis perpaucis, nec multis regni equitibus, Deo ac patriae infidis, iisque Gothorum copiis uelut obſeſſis, Gothisque ipſis autoribus horum ſolennium actoribusque, Hornio, VVagenſchlagero, et Palmebergio, quamuis

Digitized by Google

uis uacuefacta ſedes, ſcripto publico, prudentiori orbi nullo modo potuerit probari, electus tamen pariter, atque a temulento praeſule Poſnanienſi, quem, eo tantum die, largiore ſpiritus uini potu milites prohibere cuſtodes debebant, renuntiatus, poſtque aliquanto, per ſummum ſacrorum Leopolitanorum antiſtitem, diademate, ex lamina inaurata, redimitus, atque ſolenni, eaque fauſta, acclamandi formula, *uiuat Staniſlaus, et Catharina, regina*, haud ſine omine malo, propter regii tituli praetermiſſionem, ſalutatus, ab exteris non admittebatur. Nec mirum, ſiquidem dedecet regentes populos, ad alterius ſe libidinem fingere, idque demum putare rectum, quod ipſius commodo conueniat, et ei, quae in ſolum cadit huius uniuerſitatis parentem, exautorandi reges, ac, nouos, arbitratu ſuo, ingratiiſque, admouendi regni gubernaculis, uim concedere, aut pati, arrogantia, neſcio qua, minis etiam precibus mixtis, talis approbationem regis ſibi uelut imperari, qualem Deus, ius gentium, et omnia ſacra, reſpuunt atque auerſantur. Eo autem res uenerat, ut prope duceretur hoſtis, qui Staniſlaum non regis loco numeroque poneret, e contrario, inſignibus regiis priuatum non deſpiceret Auguſtum, Auguſtum inquam, quem, ſi uel faciem uideas, natura ſummae, inter homines,

ampli-

Digitized by Google

amplitudini habilem aptumque finxit, et maieſtatis, coeleſtiſſimi pignoris, capacem fecit, ac uniuerſis, plena manu, cumulauit, animi corporiſque bonis, quae in alios huius ordinis parcius ſparſit, quique, et generis regii antiquitate, et gloria maiorum aeque, ac ſua, rerumque geſtarum, contra Thraces et Scythas, magnitudine, nec opum uulgari fama, ut toti terrarum, ita Sarmatarum, orbi, tum quam commendatiſſimus, ab his concordibus, iiſque liberis, procerum ſuffragiis, praeter Franciſcum Ludouicum, principem Contium, et Iacobum Sobieſkium, more inſtitutoque maiorum, incredibili reipublicae, recte ſentientis, plauſu, electus eſt Rex, atque ſacro et ſolenni ritu inauguratus. Rinxit quidem, eam ob cauſam, fremuitque Radzieiovvſkius, mox tamen, Gallum ſuum, pro quo, tanquam pro aris et focis, acerrime propugnauit, miſſum, ſimulauit, facere, iſque, quanquam odio capitali, aduerſus Auguſtum, quoad uixit, flagrantiſſimus, et quorumuis malorum machinator, hoc tamen uno nomine laudandus, quod, quaſi furiarum taedis ardentibus, aeternorum cruciatuum praenuntiis, ſine dubitatione, agitatus, reſipiſcere tandem uiſus, in teſtamento ueniam petiit a clementiſſimo ſuo heroe. Anno huius ſeculi ſexto, ſi ab ſuperiore aetate, Gothorum, apud nos, excidiis notatiſſima,

 diſceſ-

diſceſſeris, triſtius nihil accidit Saxonibus, tantoque is magis abominandus eſt, quanto acrior fuit fatalis fortunae impetus in Regem noſtrum, quem, dignitate, terris fortuniſque euerſum omnibus, totum fere peſſundedit, certe in hoc, erepta nunc uel tenuiſſima ſalutis ſpe, humanarum rerum uiciſſitudinumque ſpectaculum praebuit miſerandum. Patriam tunc merito dixiſſes nauem, ſaeuis turbinibus aeſtuoſiſque fluctibus, deiecto de clauo gubernatore, in alto, ſurſum, deorſum, huc, illuc, iactatam, tandemque prope demerſam. In tam praeſenti naufragii periculo nauarchi eſt periti, demittere uela, malos caedere, abiicere remos, oneraque et impedimenta, ad leuandam nauem, eiicere in mare, uentiſque ſic permittere ſe ac fatis. Nihil, auditores, auribus ſeruiiſſe, uidebor, ſi dixero, ab Auguſto ſpecimen, hoc tempore, quo in uiſceribus inſederat medulliſque Saxonum hoſtis, prudentiae non magis, quam amoris, datum eſſe plane inauditum. Laudibus in coelum efferant Graeci, Romanique, Codros ſuos, Decios, alioſue, pro patriis aris et focis, oppetientes mortem, quid, ſi oſtendero exemplum non priuati alicuius, ſed regis, qui, conſeruandae patriae ergo, iniurias, multo ipſa morte grauiores, immo tantas, quantae, poſt homines natos, non

con-

Digitized by Google

contigerint ulli, aequo eſt animo perpeſſus. Enimuero, poſtquam Gothorum exercitus, minor certe, quam pro fama, contra fidem, Imperio Romano Auguſtae Tiberiae datam, regiones has ſui occupaſſet, Auguſtus, cum uictoria, ad Caliſchium, in Quadorum finibus, uti, uictricibuſque armis hoſtes, incolis fidentes nondum ſatis, perſequi, eoque animum illis addere, ad capienda arma, potuiſſet, noluit tamen fortunae, ſibi alioquin tam infenſae, ictui ſummam rerum committere, ac, iudicans recte, ſatius eſſe, unum ſeruare ciuem, quam mille perdere inimicos, in belli diuturni, quo florentiſſima tot regna, tot regiones, deflagrauerant, componendi ſtudium cogitationem, mentemque omnem, conferre coepit, cumque, paullo ante, iam in Saxonum fines, infeſtis ſignis, intranti Carolo animi ſui ſenſa, per Georg. Erneſtum Pfingſtenium, arcani huius participem in primis, aperuiſſet, perſecuturus ipſe inſtitutum ſalutare, in patriam contendit. Reuerſus eo, concordiae negotium aliter, ac ſibi ab actore internuncioque iſto perſuaſum erat, inuenit, uidelicet inexplicabilibus plane difficultatibus quam impeditiſſimum, idque non affectum inchoatumque, ſed perfectum plane ac tranſactum, nihilque reliquum, niſi ut ipſius paciſcentis manus accederet extrema. Delegarat autem Auguſtus, ut rem

paullo altius repetam, adminiſtro illi ſuo, alioqui non imprudenti, neque fidei dubiae, quietis publicae inſtaurandae officium, dederatque, ad hoc, mandatum, non generatim ſcriptum, ut primo conſpectu uideretur, ſed reuera cautione hacce diſerta, ut, more modoque Chriſtianos decente, illud fieret, temperatum, hiſque tanquam terminis circumſcriptum, quos, ne in priuatis quidem, licet migrare, niſi factum infectum irritumque haberetur. Tantum uero abeſt, ut pacis, proditae literis, capita uel ſpeciem honeſti, aequi bonique, praebeant, ut cum diuinis non minus, quam humanis, inſtitutis aperte pugnent, contineantque in Deum, maieſtatis parentem, iniurioſa, ut, uiolationem iuriſiurandi, reipublicae Sarmatarum ſeruandi, huiusque, ſibimet demandatae ſoli, derelictionem, faſciumque regiorum, iuſte legitimeque ſibi traditorum, in perduellem tranſlationem, Ruſſorum innocentium, ad cruciatus, ad indigniſſimam certe ſeruitutem, deditionem, Saxonumque militum, quibus partim uxores liberique domi ſunt, perpetuam captiuitatem. Poſſuntne haec talia, quae adhuc perſtrinxi, ſine ſumma ſummi Numinis offenſa, integroque gentium iure, ac ſaluis liberae reipublicae ſacris, aut poſtulari a quoquam, aut praeſtari. De iis nihil dicam, quae nullam prorſus habent facultatem, uerbi gratia, de regni abdicatione, quae,

niſi,

niſi,ſecundum ſolennem illam legem, poſt Caſimirum,de ſtatione ſua, inſciis ciuibus, decedentem, promulgatam, uniuerſorum ſenatorum,ac ceterorum, ad unum omnium,penes quos deligendi poteſtas eſt,conſenſu comprobetur, nullo pacto ualet;itemque,de Ruſſorum,e poteſtate Regis exeuntium,ac in terras Imperii Romani confugientium, traditionem. Quandoquidem uero ſatis ſuperque conſtat, ea,quae impia in Deum,uiribuſque hominis longe ſunt maiora, quempiam nullo obligare nexu,cum talia effici, aut ſeruari,nec debeant,nec poſſint,autorque ſibi utique tribuat, ſi fruſtretur expectatione, eludaturque.Haec ſimplex et ſincera eſt,tum diuini,tum humani,iuris interpretatio, nec;ſine ſua ipſorum fraude, aut detrimento, ignoratur ab iis,qui contrahunt, paciſcuntur, ſtipulanturue, nec talia extorqueant, qualium fruſtra ſperetur effectus,ac, per ſe, nihili merito aeſtimetur. Intelligetis hinc poſtea, auditores, quid ſibi uelit oraculum illud, Deum capere ſapientes, in ſapientia ſua, cum Auguſtum Carolus, oſtenſa, per interpretem Pfingſtenium,non omnino nulla, ſalutaris admodum amiciſſimique congreſſus ſpe, lactaret uſque ac pelliceret in colloquium, uerbiſque deliniret, ac permulceret deinde uanis, dum in poteſtate illum ſua haberet, eique demum duriſſimas,quas Barbari etiam,qui

nondum humanitatem uidentur exuiſſe omnem, deteſtantur, proponeret ſui placandi conditiones, ferro ignique minitans, niſi ratas haberet, eiſque ſubſcriptione aſſentiretur. Rex, duobus e malis minimum eligens, non certe ſine prouidentiae diuinae inſtinctu, quae, uel in acerbiſſimis furentis fortunae caſibus, pro Auguſto, quanquam occulte, uigilabat ſemper, aduerſario denique, quinto Idus Ianuarias die, anno ſeculi noſtri ſeptimo, neceſſitati obſequens, ſatiſfecit, et ſic patriam, charitates complexam omnes, ab imminente interitu uindicauit; unaque opera Imperium Romanum metu belli, in gratiam Ludouici XIIII, turbaturi iſtud, nauemque ſuam, gubernatoris inſtar prudentiſſimi, abiectis, uel uita carioribus, cunctis, laceram licet, in portu collocauit. His enim rebus factum eſt, ut, quamuis, ſpecioſo amici foederatique titulo, inimiciſſime ageret, Saxonumque corporis ſuccum et ſanguinem exugeret, eoſque, intra annum, innumerabilibus modis uexaret, ac plus, quam duos et uiginti *milliones*, ut uocant, hoſtili more, ille exigeret, parſum tamen tectis fuerit ac uitae incolarum. Sed redeo ad manifeſta ſingularis prorſus prouidentiae diuinae ueſtigia, quae Gothorum oculos uelut praeſtrinxit, ipſoſue, uidentes ac ſcientes, eo confidentiae prolabi, ſiuit, ut, de inhoneſtis, iniquis, iniurioſis, nihil dicam, ad impia, nulla-

que

que humanarum magnitudine uirium aſſequenda, eaque, ſi ius ſpectes, nullius plane ponderis, paciſcentem cogerent, occaſionemque ſic ipſi darent, reſcindendi talia, quae conſcientiae uim afferrent. Hocque minus conſtare ſibi poterant, quo negligentius, ut publice alias, ab Saxone, in ſcripto Teutonico, argumentis fide dignis, demonſtratum eſt, ſteterat Gothus promiſſis, ac ne unum quidem pacti momentum reliquerat inuiolatum, certiusque, coeleſti haud dubie conſilio, cautum eſt, ne, aut iureiurando, aut ſolenni principum quorundam potentiorum interpoſita fide, fuerint ſtabilita. Ex hoc tempore benigniora fata inuenerunt uiam, poſtquam, abducto hinc, non ſecus, ac ex Capua illa Hannibalis, luxu otioque perdito, hoſtium, quadraginta circiter millium, exercitu, eodemque, apud Ruſſorum oppidum, Pultavvam, ceteriſque locis, ad internecionem deleto, perfractisque, ulciſcendi ſui cauſa, impiae, iniuſtiſſimae, turpiſſimaeque, pacis repagulis, Auguſtum, anno huius aeui demum nono, in priſtinum Sarmatarum regni locum, bene feliciterque, reſtituerunt, et, uſque ad hoc tempus, immenſis prouidentiae diuinae beneficiis, quae tacere, quam paucis commemorare, praeſtat, affecerunt. Huic, huic, inquam, orationem finiturus, ea, qua decet, in Herum meum indulgentiſſimum, pietate, pro

ſalute

ſalute ipſius, ſupplico demiſſiſſime, eundemque patrem patriae, una cum auguſtiſſima familia, Principe nominatim Iuuentutis, Rectore magnificentiſſimo, humili prece commendo, religione obteſtans omni, ut, o Stator rerum, O.M., fortiter illum tuearis, et uberrimos praepotentis tutelae fructus, uno cumulatae benignitatis tenore, ſinas percipere, ſimul patriam quoque ab omni detrimento ſinceram integramque praeſtes, inſtaurataque tandem aliquando pace, pacis comitibus atque dulciſſimi otii ſociis, doctrinis, dico, liberalibus, earumque ſedi, Academiae noſtrati, paterne conſulas, triſtia uero quaeuis ab hac auertas, ſolennia denique haec, in praeſens, bene feliciterque iubeas euenire.

D I X I

## III

EORVM QVI SAPIENTIAE AC BONARVM ARTIVM DOCTORES SOLEMNI CELEBRITATE XVI KAL. NOVEMBREIS A. C. cIↃ IↃ CC XV RENVNTIATI SVNT NOMINA ET ORDO CVM GRATVLATIONE.

Chriſtianus Poſſeltus, Nortorfia Holſatus.

Philippus Goeſchelius, Baerenualda Miſnicus.

Michael Barthius, Mildenauia Miſn.

Chri-

Chriſtophor. Richterus, Schnee-
berga Miſn.
Io. Godofredus Puſendorfius, Li-
pſienſ. Miſn.
Io. Erneſt. Hanckelius, Torgau.
Paſtor Roeſenſis.
Io. Chriſtophor. Manzelius, Gu-
ſtrouienſis Meclemburg., Paſtor Otten-
dorfienſis.
Godofredus Kernius, Limbaccen-
ſis Miſn., Paſtor Niederyvervvigienſis.
Chriſtian. Frider. Krauſius, Froem-
diſvvalda Miſn., Paſtor Neodorfienſis.
Io. Laurent. Schreiberus, VViller-
ſtadio Thuring., Rector Scholae Seydenſ.
Fridericus Iacob. Firnhaberus, Ver-
themio Francus.
Daniel Gotlibius VVeimarus, Nea-
gora Variſcus.
Beniamin Caſpius, Emlebio Thur.
Chriſtian. Pfueznerus, Eſtho Liuon.
Samuel Gotlibius Leo, Friberg.
Miſn.



Digitized by Google

Io. Daniel Lommerus, Teuchra Miſn.
Abias Georgius Cramerus, Goerſbachio Thuring.
Io. Henr. Oertelius, Schleza Variſc.
Io. Chriſtophor. Libertus, Haynenſ. Miſn.
Georgius Carolus Petri, Holleba Miſn.
Io. Georgius Bluetigenius, Francoberga Miſn.
Dauides Gothelfius Truebſbachius, Erbiſdofienſis Miſn.
Samuel Fidlerus, Oedera Miſn.
Io. Georgius Fickerus, Schoenecca Variſcus.
Godofredus Hofmannus, Chemnicenſ. Miſn.
Rudolphus VVittkopfius, Holmia Suecus.
Godofredus Chriſtian. Herzogius, Aſcanienſis.
Auguſt. Beyerus, Iaucha VVeiſſenſ.

Timo-

Digitized by Google

Timotheus Thieleus, Grundenſis Miſn.
Chriſtian. Gotlibius Bretſchneiderus, Beuthenenſis Sileſ.
Io. Andreas VVerlerus, Graeza Variſcus.
Io. VVenceſlaus Kaſchubius, Strehla Sileſ.

ADuerſam diuiniorum pariter, ac humaniorum, literarum fortunam, quibus cum inerti, ſibique infenſiſſimo, ſeculo uehementer confli-ctandum, quanto acerbius ferre ſoleo, et propemodum deflere, tanto nunc maiori me uoluptate perfundit ac recreat laetiſſimus, reuerendi admodum praeſtantiſſimique Viri aeque, ac Iuuenes literatiſſimi, conſpectus ueſter, et in ſpem temporum erigit meliorum. Quod ſi male ſentientium autoritate optatiſque ſtaret, actum ſane foret de literarum ſtudiis, eorumque tractatio relinqueretur uulgo, et, tanquam umbratilis, prorſusque inutilis et ſuperuacua, ad ſcholas damnaretur, indigna plane magnorum perſonis uirorum, qui in luce, oculiſque Principum, uerſantur, et, pragmaticis occupati, gubernacula ſaepe reipublicae tractant, honores uero, ſtudiorum praemia, riderentur,

rentur,

rentur, ſibiliſque et conuiciis exploderentur. Hi, quicunque ſint, diuini Platonis oraculum, *beatas fore reſpublicas, ſi, aut docti, aut ſapientes, homines eas regere coepiſſent, aut, qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina ac ſapientia collocaſſent*, non ſatis ponderant, ignari plane atque immemores, ſeculorum memoria omnium comprobari illud, argumentiſque minime fallentibus confirmari, hoc omni felicitatis genere florentiorem eſſe quamque, quo plures, ſinu ueluti ſuo, fouet eruditos, tuetur et exornat. Quamobrem uos ne poeniteat, nedum pudeat, ab ineunte aetate ſapientiae ac bonis artibus dediſſe operam, ſpretiſque conuiciatorum iniuriis, eo progreſſos eſſe eruditionis, uberrimos ut induſtriae ueſtrae fructus perciperetis. Cumque adeo a me, Philoſophi Praeſide Collegii, conſentientibus Patrum ſuffragiis, ſapientiae ac ingenuarum artium Doctores, more inſtitutoque maiorum, publice renuntiati ſitis, non poſſum, quin lauream hanc philoſophiae, integritate uitae, ac ſtudiorum aſſiduitate, partam, ex animo uobis gratuler, Deumque, literarum autorem iuxta, ac ſtatorem, obteſter, ut eam, in eruditionis non magis, quam religionis emendatioris, praeſidium et firmamentum, barbariaeque perniciem, pro eo, atque ominor, bene euenire, ac patriae, parentibus, uobiſmet denique ipſis, uſui eſſe, iubeat, nec unquam, corrumpi facile, patiatur.

Digitized by Google